AUTHOR:

SCHOTTIN

TITLE:

OBSERVATIONES DE PLUTARCHI...

PLACE:

BUDISSIN

DATE:

1865

Master Negative #
91-80190-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P71
KZ
v.3

Schottin,
...Observationes de Plutarchi Vita Artaxerxis, Budissin, gedruckt bei E.M.Monse, 1865.
16 p. 25 cm.

At head of title: Jahresbericht über das Gymnasium zu Budissin...

Volume of pamphlets

376526

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 13 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-16-91   INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Plutarch Vitae Artaxerxes
no 3

JAHRESBERICHT

über das

Gymnasium zu Budissin

auf das Schuljahr 1864–1865.

Womit

zu der am 6. und 7. April zu haltenden

öffentlichen Prüfung aller Classen

und der

am 9. April Statt findenden

Gedächtnisfeier

des

DR. GREGORIUS MÆTTIG

im Namen des Lehrercollegiums

ehrerbietigst und ergebenst einladet

der Rector

Prof. Dr. **Friedrich Palm**,

Ritter des Königl. Sächs. Albrecht-Ordens.

Voran steht eine Abhandlung vom Gymnasiallehrer Dr. Schottin:
Observationes de Plutarchi vita Artaxerxis.

BUDISSIN 1865.

Gedruckt bei Ernst Moritz Monse.

Observationes de Plutarchi vita Artaxerxis.

Scribendi mihi de Artaxerxis vita a Plutarcho conscripta causa fuit, quod in perlegendis vitis Plutarchi nullam aliam tot et tantas praebere difficultates interpretibus videbam. Verba sane non difficiliora sunt intellectu quam in aliis Plutarchi libris, quamquam nonnulli loci inveniuntur, qui videantur esse corrupti, res vero ipsae, quae narrantur, partim a veritate abhorrent, partim non recte dispositae sunt; sed in iis, quae narrantur, Plutarchus non solum temporibus sed etiam rebus ipsis haud raro erravit, id quod minus Plutarcho vitio dandum, quam illis rerum scriptoribus, e quibus materiem hausit. Neque enim de ullo illius aetatis rege tanta inter rerum scriptores discrepantia invenitur quanta de Artaxerxe. Quam ob rem, quae mihi nunc exponenda esse videbantur, ea ita digessi, ut primum quae singulis deberentur auctoribus, quos Plutarchus in conscribenda vita Artaxerxis secutus est, demonstrarem; deinde chronologia quam male concinnanda esset cum iis, quae Plutarchus protulit, docerem, tum de nonnullis, qui interpretandi difficultates praeberent, locis dissererem.

I.

De fontibus, quos Plutarchus in vita Artaxerxis secutus esse videatur.

Quod igitur primum attinet ad fontes qui dicuntur, nonnullos jam video viros doctos doctrinae documenta in lucem edidisse, e quibus primo loco Heerenius, quia primus non quia optime de hac re scripsit, commemorandus est, secundo vero loco, sed qui ingenii acumine et diligentia excellit, Martinus Haugius, qui libro praemio ornato: de fontibus Plutarchi in Vitis Graecorum a. 1854. edito multo accuratius et rectius Heerenio illa quoque exposuit, quae ad Artaxerxis vitam pertinebant. Deinde magna cura et doctrina fragmenta Historicorum minorum collecta sunt a Carolo et Theodoro Muelleris fratribus, quorum prior Vol. II. operis edidit et Herodoti, quam curavit, editioni Ctesiae Reliquias addidit, qua re aditus ad fontes nullis impeditus ambagibus sed stratus et munitus est. In citandis igitur fragmentis scriptorum Graecorum ordinem a Carolo Muellero observatum sequar. Ctesiae praeterea fragmenta praeter Lionem edidit locupletissima addita annotatione Baehrius, vir de Herodoto et Plutarcho egregie meritus, quibus libris addendi sunt Osiandri et Blumii lucubrationes, quae mihi ad manum non erant.

De Ctesia Cnidio.

Ctesiae Cnidii quum ab aliis scriptoribus tum a Photio permulta fragmenta nobis conservata sunt. Erat autem natus in insula Cnido, patre Ctesiocho e gente illa celeberrima Asclepiadarum, quam ob causam et ipse medicam artem professus est. Utrum captivi nomine an sua sponte ad Artaxerxem Regem venerit, nihil ad rem valet. Hoc tamen certum est, eum septendecim annos in Perside vixisse et Artaxerxem cum matre Parysatide ejus opera esse usum; deinde vero in patriam atque hinc Spartam se contulisse ibique libros de rebus Indicis et Persicis conscripsisse. Quo jure et quibus auxiliis adjutus adierit rem difficillimam ut Graeco, inde concludi potest, quod annalibus Persicis cutibus inscriptis usus est (Diodor. II, 32.) quam ob rem quae inde desumsit, fieri non poterat, quin magnam partem ab iis abhorrerent, quae Graeci ante eum scriptores inprimis Herodotus referebant; alius enim erat captus Graecorum, alius Persarum. Deduxit autem res Persicas usque ad id tempus, quo ei, ut in patriam rediret, concessum est a. a. Chr. n. 398. Iam apud veteres scriptores in suspicionem venerat mendacii, quamquam multi ex illius scriptis res memoratu dignas repetebant. Cujus rei multa testimonia attulit Muellerus l. l. p. 8. Haec vero lis etiam ad recentiores transiit; quemadmodum enim erant, qui fidem ei denegarent, ut Scaliger, Conringius, Cellarius, non deerant, qui eum Herodoto ipsi praeferrent, ut Usserius, Walcherius, alii. Nos cum Baehrio et Haugio, quamquam magnam ejus scientiam et doctrinam non negamus, ejusque testimonio in iis praecipue rebus, quas ipse vidit, magnam fidem habemus, infitiari non possumus, eum a jactantia et ostentatione liberum non fuisse eamque ob causam ut in rebus levioris momenti ita interdum in gravioribus non semper vera narrasse. Quamvis enim fortasse nimis credulus fuerit auctoribus Persicis, Plutarchus recte judicavit, eum contra veritatem ea scripsisse, quae de legatione ad mercenarios Graecos narraverit. Xenophon enim, cui fides nequaquam deneganda est, quique Ctesiae librum bene noverat (cfr. Anabas. I, 3, 26) his verbis usus: (Anab. II, 1, 7.) *ἔρχονται παρὰ βασιλέως καὶ Τισσαφέρνους κήρυκες οἱ μὲν ἄλλοι βάρβαροι, ἦν δ' αὐτῶν Φαλῖνος εἷς Ἕλλην*, aperte nec sine consilio negat, Ctesiam illi legationi interfuisse. Praeterea aliud mihi visum est commemoratione dignum. Ex fragmentis Ctesiae a Photio traditis atque item e Plutarchi narratione apparet, Ctesiam a partibus Lacedaemoniorum stetisse atque Clearcho quam maxime favisse, postremo etiam Spartam se contulisse. Idem vero et Cononi favit ejusque literas Regi Persarum commendavit, quibus ille Lacedaemoniorum principatum fracturum se esse pollicebatur. Qua de causa ita egerit, augurari non difficile est; nitebatur enim omnibus viribus ac nervis, ut in patriam rediret; quam ob rem Regi proposuit, ut ipse Cononi tanquam auxilio et adjumento adderetur. Quo vero nomine haec agendi ratio nuncupanda est, qua quis cui favet idem noceat, sui commodi gratia? Quantopere enim Conon classi Persarum praefectus res Lacedaemoniorum contriverit, quis est, qui nesciat? Quae quamquam ita habent, in iis, quae Ctesiae debentur, Plutarchus vera retulisse multis de causis verisimile est. Recte enim Plutarchus judicat, Ctesiam, quippe qui rebus gestis interfuerit, idque inter comites regis ipsius, peritissimum fuisse morum Persarum atque insidiarum et machinationum quales in aulis principum, strui videmus. Neque talem fidem ei denegare videtur Xenophon quum l. l. his utitur verbis: *Σὺν τούτοις δὲ ὢν καθορᾷ βασιλέα καὶ τὸ ἀμφ' ἐκεῖνον στῖφος· καὶ εὐθὺς οὐκ ἠνέσχετο, ἀλλ' εἰπών· τὸν ἄνδρα ὁρῶ, ἵετο ἐπ' αὐτὸν καὶ παίει κατὰ τὸ στέρνον*

καὶ τιτρώσκει διὰ τοῦ θώρακος, ὥς φησι Κτησίας ὁ ἰατρὸς καὶ ἰᾶσθαι αὐτὸς τὸ τραῦμά φησι. Παίοντα δ' αὐτὸν ἀκοντίζει τις παλτῷ ὑπὸ τὸν ὀφθαλμὸν βιαίως· καὶ ἐνταῦθα μαχόμενοι καὶ βασιλεὺς καὶ Κῦρος καὶ οἱ ἀμφ' αὐτοὺς ὑπὲρ ἑκατέρων, ὁπόσοι μὲν τῶν ἀμφὶ βασιλέα ἀπέθνησκον, Κτησίας λέγει· παρ' ἐκείνῳ γὰρ ἦν.

Jam vero demonstrandum erit, quid vel quaenam in vita Artaxerxis Ctesiae debeantur. Quodsi eas reliquias, quas in compendio Photius e libris Ctesiae nobis conservavit comparaverimus, plurimas consentire videmus res. quae ab initio libri usque ad cap. 19 referuntur. Primum, quae de nomine Artaxerxis proferuntur, Ctesiae debentur, quod verba, Ctesiae (fragm. 49. 53. ed. Mueller) significant: *Ἀρσάκης ὁ τοῦ βασιλέως παῖς ὁ καὶ ὕστερον μετονομασθεὶς Ἀρτοξέρξης*, item Cyri nomen eodem modo atque a Plutarcho a Ctesia transfertur (f. 49.) *τίθεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἡλίου Κῦρον·* Frater vero Artaxerxis Oxathres a Ctesia Oxendras vocatur. Quae deinde de inaugurato Artaxerxe leguntur, simili modo e Ctesia desumta esse videntur. Nemo enim, nisi peritissimus morum et religionum Persarum has res tam accurate describere potuit, quas etiamnum in antiquissimis libris Vedae (cfr. Haug, l. l. p. 91) descriptas invenimus. Imprimis vero, quod Plutarchus (c. 4.) per Mithram jurantem Artaxerxem facit, rerum optimum testem prodit. Quamquam enim aliis locis Artaxerxes Oromasdem (Auramazdam sive Ormuzd) invocat, illud jusjurandum ad Artaxerxem quadrat, quippe qui cultum Mithrae apud Persas primus instituerit. Testis est Berosus Chaldaeus, cujus verba (Mueller, Hist. Graec. min. II, 509) hoc loco scribere liceat: *Ἀγάλματα μὲν θεῶν οὐ ξύλα καὶ λίθους ὑπειλήφασιν, ὥσπερ Ἕλληνες, οὐδὲ μὴν ἴβιδας καὶ ἰχνεύμονας, καθάπερ Αἰγύπτιοι, ἀλλὰ πῦρ δὲ καὶ ὕδωρ, ὡς φιλόσοφοι· Μετὰ πολλὰς μέντοι ὕστερον περιόδους ἐτῶν ἀνθρωποειδῆ ἀγάλματα σέβειν αὐτοὺς Βήρωσσος ἐν τρίτῃ Χαλδαϊκῶν παρίστησι, τοῦτο Ἀρτοξέρξου τοῦ Δαρείου τοῦ Ὤχου εἰσηγησαμένου, ὃς πρῶτος τῆς Ἀφροδίτης Ἀναΐτιδος τὸ ἄγαλμα ἀναστήσας ἐν Βαβυλῶνι καὶ Σούσοις καὶ Ἐκβατάνοις, Πέρσαις καὶ Βάκτροις καὶ Δαμασκῷ καὶ Σάρδεσιν ὑπέδειξε σέβειν.*

Perperam h. l. Muellerus verba *Ἀρτοξέρξου τοῦ Δαρείου τοῦ Ὤχου* vertit: Artoxerxe. Darii filio, Ochi vero patre. Ochus enim, postquam rex factus est, nomine, ut regum Persarum mos fuisse videtur, novo assumpto Darius vocatus est; itaque pariter recte scribere licuit *Ὦχος ὁ Δαρεῖος* ac *Δαρεῖος ὁ Ὦχος* vel *Ὦχος ὁ καὶ Δαρεῖος* (cfr. fragm. Ctes. 49. al.) De Anaitide vero ne Berosus quidem plane recte videtur narrasse; Spiegelius enim, vir rerum et literarum Persicarum peritissimus (cfr. Annales, qui dicuntur. Ausland a. 1864 No. 19.) de illa dea haec scribit: Comana, urbs Pontica, celeberrima cultu Anaitidis sive deae Ma nomine populari. Sex milia sacerdotum ibi fuisse dicuntur. Item Comana Cappadociae nec minus Zela urbs Anahitae cultu frequens. Libri Zend-Avestae vero docent, Anahitam non solum a fidelibus, i. e. Zoroastri cultui addictis, sed etiam ab aliis gentibus esse cultam. Inde elucet, cultum Anaitidis non primum Artaxerxis aetate neque aliunde in Persidem immigrasse; Mithrae vero cultum prius apud Syros floruisse inter omnes constat.

Haugius ea quoque e Ctesia hausta putat, quae c. 4. et 5. de Regis virtutibus, iis saltem, quas ab initio regni sui prae se ferebat, narrantur, primum quod Ctesiae sit, ejusmodi narratiunculas proponere, deinde quod laudes illae et elogia gratum in Regem animum prodant, qui nemini rectius ac verius attribui possit quam Ctesiae. Haec sane esse potuerunt neque a veri similitudine abhorrere videntur. Sed multus in ejusmodi

narratiunculis erat etiam Heraclides Ponticus et Phanias Eresius et Theopompus (cfr. v. Themist. c. 29—30).

Proximis capitibus (6. 7.) Plutarchus expeditionem Cyri minoris in Babyloniam descripsit, auctore usus maximam partem Xenophonte.

Cap. 8 exponit, quomodo Cyri mors proprie Clearcho magis culpae tribuenda sit, quam Cyro ipsi, quippe qui de instruenda acie a Clearcho dissenserit. Quae quamquam suis verbis Plutarchus exposuit, conjici tamen potest, eum Ctesiae sententiam secutum esse, qui (fr. 58.) de eadem re exposuit testibus his verbis: *θάνατος Κύρου ἀπειθοῦντος Κλεάρχῳ·* eo tamen discrimine, ut is potius Cyrum incriminetur, quum Plutarchus plus culpae Clearcho tribuat.

Cap. 9. iterum de Ctesia depromsit, id quod inde apparet, quod, ut hoc loco nobilissimi equi, Pasacae nomine, quo vehebatur Cyrus, mentio fit, ita infra c. 11. mors Cyri equo impetuosiori culpae datur, quo ultra ordines suorum avectus in medios hostes inciderit. Interposita deinde Dinonis relatione de morte Cyri (c. 11) iterum Ctesiae de eadem re narrationem brevibus excerpsit, unde quam accurata et copiosa illius relatio fuerit, concludi potest, quum Plutarchus his verbis utatur: *ἡ δὲ Κτησίου διήγησις ὡς ἐπιτεμόντι πολλὰ συντόμως ἀπαγγεῖλαι.*

Rerum autem quae c. 12. usque ad cap. 18. continentur, ordo quomodo consentiat Plutarcheus cum Ctesiano, optime elucebit, si excerpta Photii deinceps cum Plutarchi verbis comparaverimus.

Itaque *αἰκισμὸς τοῦ σώματος Κύρου ὑπὸ ἀδελφοῦ Κύρου· τήν τε γὰρ κεφαλὴν καὶ τὴν χεῖρα μεθ' ἧς τὸν Ἀρτοξέρξην ἔβαλεν, αὐτὸς ἀπέτεμε καὶ ἐθριάμβευσεν* — c. 12. et 13. copiosius a Plutarcho exponuntur. Illud *αὐτὸς ἀπέτεμε* non ita interpretandum, ac si sua ipsius manu Artaxerxes fratris manum deciderit, quod statim ex sequentibus verbis (fr. 59) elucet: *τὰ περὶ Βαγαπάτου καὶ ἀποτεμόντος προστάξει βασιλέως τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τοῦ σώματος Κύρου. Ὅπως ἡ μήτηρ μετὰ βασιλέως κύβοις ἐπὶ συνθήκαις παίξασα καὶ νικήσασα ἔλαβε Βαγαπάτην, καὶ ὃν τρόπον τὸ δέρμα περιαιρεθεὶς ἀνεσταυρίσθη ὑπὸ Παρυσάτιος.* Haec apud Plutarchum ita narrantur, ut totum caput 17. impleant.

Ita pergitur: *ὡς Ἀρτοξέρξης δῶρα ἔδωκε τῷ ἐνέγκαντι τὸν Κύρου πῖλον, καὶ ὡς τὸν Κᾶρα τὸν δοκέοντα Κῦρον βαλεῖν Ἀρτοξέρξης ἐτίμησε, καὶ ὡς τιμηθέντα Κᾶρα αἰκισαμένη ἀπέκτεινεν.* Haec c. 14 explicantur. Reliqua praeterea, ut praemia data amicis Artaxerxis, inter quos Ctesias ipse commemoratur, totum hunc locum ut Ctesiae tribuamus, cogunt.

Ὡς Ἀρτοξέρξης παρέδωκεν αἰτησαμένῃ Μιθραδάτην Παρυσάτιδι ἐπὶ τραπέζης μεγαλαυχήσαντα ἀποκτεῖναι Κῦρον, κἀκείνη λαβοῦσα πικρῶς ἀνεῖλεν. Haec totis capitibus 15. 16. exponuntur. Quodsi M. Haugius praeterea tanquam testimonio pro Ctesia aliquantum ponderis iis verbis tribuit, quibus eunuchus utitur ad convivas versus: „edite et bibite daemonem regis adorantes,“ quasi a nullo alio scripta esse possint nisi a Ctesia, omnino suffragari non possum. Simili enim modo in vita Themistoclis Roxanem Chiliarchum loquentem Plutarchus introducit: *Ὄφις Ἕλλην ὁ ποικίλος, ὁ βασιλέως σε δαίμων δεῦρο ἤγαγεν.* Quae verba num ex Ephori an Dinonis vel Clitarchi an denique Heraclidae libris sint depromti, in dubio manebit. Neque extra dubitationem est, quo loco Ctesias crudele et immane illud genus supplicii descripserit, quod

Graeci dicebant *σκαφεύειν*. Jam enim supra, non hoc demum loco, Ctesias illud supplicium videtur exposuisse, id quod elucet ex fragm. 30. *καὶ ἀπόλλυται πικρῷ καὶ κακίστῳ θανάτῳ Ἀσπαμίτρης, ὃς ἦν κοινωνὸς ἐπὶ τοῖς φόνοις Ξέρξου καὶ Δαρειαίου· σκαφεύεται γὰρ καὶ οὕτως ἀναιρεῖται.* In nominibus autem Plutarchus vulgarem Graecorum scribendi rationem retinuit, qua scriberet: *Ἐκβάτανα, Δαρεῖος, Ἀρσίκας, Γίγις,* Ctesiae: *Ἀγβάτανα, Δαρειαῖος, Ἀρσάκης, Γίγγη.* Eodem modo etiam explicari potest, quod Mesabatam eundem vocat, quem ille Bagapatem, imprimis quum utrumque nomen idem significare, i. e. quem Deus protegit, Haugius doceat.

Fr. 60. *Ὡς Κτησίας αὐτὸς ἰατρὸς ὢν Παρυσάτιδος πολλὰ Κλεάρχῳ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ὄντι πρὸς ἡδονὴν καὶ θεραπείαν δι' αὐτῆς ἔπραξε· καὶ τῶν δεσμῶν ἂν Παρύσατις ἔλυσε καὶ ἀφῆκεν, εἰ μὴ Στάτειρα τὸν ἄνδρα Ἀρτοξέρξην ἀνέπεισε τοῦτον ἀναιρεθῆναι. Καὶ ἀνῃρέθη Κλέαρχος, καὶ τέρας ἐπὶ τῷ σώματι συνέστη. Ἀνῃρέθησαν δὲ καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἀναπεμφθέντες Ἕλληνες πλὴν Μένωνος·* et infra (fr. 62) *καὶ τὸ χῶμα δὲ τοῦ Κλεάρχου δι' ἐτῶν ὀκτὼ μεστὸν ἐφάνη φοινίκων, οὓς ἦν κρύφα Παρύσατις, καθ' ὃν καιρὸν ἐκεῖνος ἐτελεύτησε, διὰ εὐνούχων καταχώσασα.* Haec a Plutarcho c. 18. accuratius exponuntur, ita tamen, ut Ctesiam auctorem bis dicat sequi. Plus vero aequo hoc loco Ctesiam jactationis insimulat, quasi ille tanquam portentum narraverit, silvulam palmarum dactyliferarum in tumulo Clearchi germinasse; cum Ctesias ipse addiderit, illas arbores clam rege Parysatidis jussu ab eunuchis consitas esse.

Quae fragm. 61. referuntur, demonstrant, Ctesiam multum fuisse in narrando, quomodo Statira regina uxor Artaxerxis a Parysatide veneno interemta sit, quamque dira ejus ministri, jubente Rege, poena sint affecti. Plutarchus c. 19. paene ad verbum cum Ctesiae fragmento congruit, ita tamen, ut Dinonis quoque relationem conferat, qui (Vit. Art. c. 6.) quum tempus insidiarum prius ponit, quam Ctesias, tum Parysatin non ipsam, sed eunuchum avem cultello venenato secuisse fingit.

Post mortem Statirae reginae Ctesias in patriam rediit, neque ultra hoc tempus historiam suam continuavit. Qua vero ratione ei contigerit, ut cum Conone redire ei concederetur, id quod Ctesias (fr. 63) multis descripsit verbis, a Plutarcho breviter et obiter (c. 21) commemoratur, cum dicat: Ctesiam literis Cononis hoc adjecisse dici, ut Rex ipsum tanquam virum rei navalis peritum ad Cononem mitteret, Ctesiam vero contra contendere, Regem sua sponte hoc munus in ipsum transtulisse.

Prospero igitur fato ea ipsa de Ctesiae rebus Persicis nobis conservata sunt, quae ad Artaxerxem pertinent. Apparet autem, Plutarchum non sine magna in Ctesiam fuisse suspicione atque hanc ob causam minus justo usum judicio, quum nullam praetermittat in Ctesiam invehendi occasionem. (cf. c. 1. 4. 13. 18. 22.) Si vero unum excipias, nullo modo Ctesiam in his falsa finxisse vel mentitum esse dicas. Utinam igitur Plutarchus cautior fuisset in auctoritate Dinonis sequenda, cui quantum fidei sit tribuendum, jam videamus.

De Dinone.

Si quis censuerit, quem veteres fide dignum habuerint, nostra quoque fide dignum esse debere, quem illi reprehenderint, ne a nobis quidem magni aestimari posse, is tamen quum Ctesiae et Dinonis fidem, qua apud veteres usi sint, comparaverit cum fide, qua sint digni, concedet, famam vel veterrimam interdum errare in pejus pariter atque in melius.

Qui enim a multis iisque clarissimis scriptoribus tanquam hallucinator reprehensus est quem Plutarchus ipse, quotiescunque facultas data est, nugarum et mendaciorum insimulavit, miro modo contigit, ut eum Plutarchus in rebus plurimis sequeretur, tanquam rerum tum gestarum peritissimum; qui vero ab antiquis scriptoribus magni habitus est, quem Plutarchus nunquam erroris mendaciive coarguit, cui Cornelius Nepos haud dubie dubitavit „plurimum de rebus Persicis credere“ (Cornel. Vit. Con. 5.), ei ut paene totam auctoritatem denegandam esse censeremus, res ipsa nos coëgit. Quod ne cui injustius atque iniquius videamur judicare, ex iis, quae veteres scriptores e Dinonis scriptis ad nos pertulerunt fragmentis, erit probandum.

Fragmento igitur 1. (Mueller, hist. Gr. min. T. II.) fabulam de Semiramide Assyriorum regina profert, ab aliis post eum saepe decantatam, multo mirabiliorem, quam Ctesiae fabulam de Semiramidis origine.

Fragm. 2. Dino narrat, in Aethiopia nasci aves unicornes et sues quadricornes et oves lana carentes pilis vero camelorum similibus hirsutas; de quibus non est, cur quidquam dicamus.

Fr. 3. Plinius (Hist. nat. X. 70.) tradit, secundum Dinonem Sirenes in India esse mulcerique earum cantu, quos gravatos somno lacerent, id quod ipsi Plinio fidem videtur excedere.

Fr. 5. Zoroastrum interpretatur per ἀστροθύτην, stellarum cultorem, ac si Persae instar Sabaeorum sidera coluissent.

Fr. 6. tragoedias excitat de vatibus Medorum, qui in epulis in modum Graecorum cantantes instar oraculi Delphici de futuris sint vaticinati.

Fr. 9. Persas simulacra ignis et aquae statuisse fabulatur.

Fr. 11. commentum Aegyptiorum pro vero narrat; tradit enim Cambysem filium Nitetidis fuisse Amasidis filiae a patre Cyro missae; quam ob causam Cambysem matris ulciscendae causa expeditionem contra Aegyptios suscepisse. Quae quam falsa sint et a veri similitudine prorsus abhorreant, jam ab aliis rerum scriptoribus demonstratum habemus.

Fr. 15. aquam ex Nilo flumine Regi adduci moris fuisse Persis docetur. Scilicet aquam Choaspis, qua rex Persarum ad bibendum uti solebat, in itineribus illi esse apportatam, inter omnes constat; nemo autem praeter Dinonem idem de aqua Nili commemoravit; propius ad veritatem accedunt, quae

Fr. 16. commemorantur, aquam et Istri et Nili in thesauro Regis conditam esse; terram enim et aquam deditionis nomine Persae subditos populos poscebant.

Fr. 20. cum Ephoro et Clitarcho et Heraclide errat in eo, quod ad Xerxem I. Themistoclem domo profugum venisse dicit; quum, quo tempore Artabanus auctoritate valeret, eum illuc venisse extra dubitationem sit (cfr. Clinton, fast. Hell. ed. Kruger p. 42.).

Fr. 21. tradit, Bagazi uxorem, Xerxis sororem ex eodem patre, Anutim nomine, pulcherrimam Asiae mulierem fuisse et eandem intemperantissimam. Qua in re omnia sunt perversa. Amytis enim (non Anutis) soror Artaxerxis (non Xerxis) erat et uxor Megabyzi (non Bagazi.).

Fr. 19. Artaxerxem esse mortuum anno aetatis 94. docet. Quod quam falsum sit, infra videbimus. Haec igitur, quae recensuimus, plena sunt erroris aut ex ignorantia aut studio novas res narrandi aut ex ira et aemulatione in alios scriptores exorti. Num igitur mirum, si Cornelius Nepos, quem vulgo vocamus, quem tironibus in manus datum

paene ubique videmus, ita horret mendis et erroribus, ut qui ejus librum ediderunt viri docti, imprimis id egerint, ut in notis, quae erronea essent, aut unde detegerent, aut fuco quasi oblinere conarentur? Neque aliter rem habere in Plutarcho inde apparebit. Plutarchum autem tota vita Artaxerxis Dinonem simul cum Ctesia in manibus et ante oculos habuisse, facile elucet. Nam statim ab initio (c. 1.) Dinoni, qui prius nomen Artaxerxi Oartae fuisse dicit, Ctesiae auctoritatem opponit. Cap. 6 contra Ctesiam Dino narrat, Statiram a Parysatide flagrante bello ipso veneno esse e medio sublatam. Quae autem (c. 9. 10.) Dinone auctore Plutarchus de caede Cyri narrat, Ctesiae quidem relationi repugnant, nec Xenophontis confirmantur testimonio. Nihilo minus multi scriptores Dinonem secuti sunt, de quibus eadem dicere licet, quae apud Ciceronem (Brut. 11.) de Coriolani et Themistoclis morte Atticus: „hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt, illa mors vulgaris nullam praebebat materiem et ornatum.“ Quam ob rem etiamnum in libris historicis legimus Cyrum ab Artaxerxe fratre ipso certamine singulari esse confossum.

C. 13. Plutarchus refert, numerum exercitus Artaxerxi fuisse quadringentorum milium, Dino contra cum Xenophonte nongentorum milium, quod a veritate abhorrere non videtur, quum Darius Codomannus etiam majores contra Alexandrum duxisse exercitus inter omnes constet.

C. 19. ter Dinonis mentio fit. Primum quo loco Gigis ministra fidelissima Parysatidis commemoratur, quae illam ad venenandam Statiram adjuverit; deinde, cum eunuchum administrum sceleris, cui erat nomen Belitarae, secundum Ctesiam, Melantam appellet, et hunc, non Parysatidem, cultello aviculam Rhyntacem persecuisse dicat. Quae etsi per se non magni sint momenti, hic locus iterum documento est, qua levitate Dino nomina Persarum more Graecanico mutaverit.

Quamquam in sequentibus libri partibus Plutarchus semel tantummodo Dinonis auctoritate utatur (c. 21. *διὰ καὶ τοὺς ἄλλους Σπαρτιάτας ἀεὶ βδελυττόμενος ὁ Ἀρτοξέρξης καὶ νομίζων ὥς φησι Δείνων, ἀνθρώπων ἁπάντων ἀναιδεστάτους εἶναι, τὸν Ἀνταλκίδαν ὑπερηγάπησεν* —), conjici tamen potest, eum etiam in postrema libri parte illum plerumque secutum esse. Primum quae de Parysatide cum Rege reconciliata narrat, a Ctesia exponi non poterant, quippe cujus historia ante haec tempora desinat, quam ob rem e Dinone videntur effluxisse, cujus de lite inter matrem et filium narrationem cum Ctesiae Plutarchus comparaverit. Ex eodem Dinone desumta esse probabile est, quae de ultimis Artaxerxis vitae annis legimus, quum sciamus, quam accurate res aulicas, si ita licet dicere, hic scriptor tractaverit. Denique quum a veteribus auctoribus traditum sit, Dinonis esse fabulam de Artaxerxis longaevitate et regni tempore, etiamsi Plutarchus Dinonem non in testimonium vocat, non haesitandum est, quin ea quoque Dinoni tribuamus, quae de mortis Artaxerxis causa afferuntur. Quae quam vera sint habenda, ex iis, quae supra exposuimus, facile est intellectu.

De Phania Eresio.

Suida auctore Phanias erat discipulus Aristotelis et Alexandri Magni aetate florebat, ac Plutarcho auctore (vit. Themist. 13.) vir philosophus neque historiae imperitus erat. Ex iis, quae de hujus scriptoris libris supersunt, fragmentis ea tantummodo hoc loco commemoranda sunt, quae attinent ad ejus librum de Prytanibus Eresiis, quo non solum illi Prytanes sed tota historia contineri videtur, quam ob rem Boeckhius marmora

Paria ex hoc scriptore pleramque partem originem duxisse conjecit. Athenaeo (I, p. 48. D.) vero fragmentum debemus de Entimo Cretensi, quo exponitur, quemadmodum ille ab Artaxerxe exceptus et honorifice donatus fuerit. Addit praeterea nonnulla de Antalcida, quippe cui Rex suam coronam myrrho tinctam miserit. Cum his miro modo consentiunt, quae a Plutarcho in vita Pelopidae (c. 30.) narrantur, quo loco narrationi de Pelopidae et Ismeniae ad Regem itinere vel legatione eadem de Timagora addit atque Phanias l. l. ita ut potissimum ea, quae de Antalcida leguntur, paene verbo tenus consentiant. Apud Athenaeum igitur: *Ἀνταλκίδᾳ δὲ τῷ Λάκωνι τὸν αὑτοῦ στέφανον εἰς μύρον βάψας ἔπεμψε·* apud Plutarchum Pel. 30. *καίτοι δοκεῖ μάλιστα τῶν Ἑλλήνων Ἀνταλκίδαν τιμῆσαι τὸν Λακεδαιμόνιον, ὅτι τὸν στέφανον, ὃν πίνων περιέκειτο βάψας εἰς μύρον ἀπέστειλε.* Atque paulo supra Athenaeus: *Ἔντιμον, ὃς ζήλῳ Θεμιστοκλέους ἀνέβη ὡς βασιλέα, τιμῶν Ἀρταξέρξης, σκηνήν τε ἔδωκεν αὐτῷ διαφέρουσαν τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος, καὶ κλίνην ἀργυρόποδα, ἔπεμψε δὲ καὶ στρώματα πολυτελῆ καὶ τὸν ὑποστρώσοντα φάσκων οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὑποστρωννύειν;* quae apud Plutarchum l. l. ita audiunt: *οὐ γὰρ μόνον χρυσίον οὐδὲ ἀργύριον ἔλαβεν, ἀλλὰ καὶ κλίνην πολυτελῆ καὶ στρώτας θεράποντας, ὡς τῶν Ἑλλήνων οὐκ ἐπισταμένων.* Miror igitur, Haugium, quae in Vita Artaxerxis 22. de Antalcida, de Pelopida et Timagora legantur, ad Dinonem retulisse, quum idem, quae in vita Pelopidae leguntur, recte ad Phaniam retulerit. Nam si luce clarius est, locum illum Phaniae deberi, ea quoque Phaniae tribuenda sunt, quae de eadem re et paene iisdem verbis in vita Artaxerxis leguntur. Idem enim repetit de corona vel serto Antalcidae misso, idem de donis Timagorae Atheniensi a Rege missis (*ἔτι δὲ κλίνην καὶ στρώματα καὶ τοὺς στρωννύντας ἔπεμψεν, ὡς οὐ μεμαθηκότων Ἑλλήνων ὑποστρωννύναι*) eo tantum discrimine, quod apud Athenaeum Phanias Entimum pro Timagora ponat.

In his igitur Plutarchum Phaniam secutum esse, satis probasse mihi videor. Quam ob rem neque cum Haugio consentire possum, dicente (p. 96) ea, quae de pace Antalcidae narrentur, sine dubio Ephoro deberi. Magna sane Plutarcho Ephori auctoritas, cujus historiae, quamquam negante Seneca (Natur. Quaest. VII, 16: Ephorus vero non religiosissimae fidei, saepius decipitur, saepius decipit), apud plerosque rerum scriptores antiquitatis magni aestimabantur; neque ignoro, quoties Plutarchus in Vitis parallelis Ephorum aut auctorem nominaverit aut tacite secutus sit (cfr. Dio. 36. Pericl .28. Them. 27. Cimon 12. Lysandr 17. 20. 15. 30. Pelop. 17.) et quantum ponderis illi attribuerit (cfr. Pericl. 28). Quum igitur maxime in Vita Pelopidae Plutarchus Ephorum multis in rebus secutus sit, fieri sane poterat, ut nostro quoque loco ejus historias ante oculos habuerit. Quemadmodum vero in vita Pelopidae et in nostra Vita sine dubio Phaniam secutus est in describendis honoribus, quibus Antalcidas exceptus fuerit, probabile fit, occasione data eum ea quoque ex eodem fonte hausisse, quae de Pace Antalcidica protulerit.

Də Heraclide Cumano.

De ejus aetate nihil constat; si vero conjectura uti licet, juniorem eum fuisse Dinone et Clitarcho inde concludere possumus, quod apud Plutarchum (vit. Themist. 27.) post Dinonem et Heraclidem enumeratur. Scripsisse eum de rebus Persicis e Diogene Laertio et Athenaeo intelligimus, quorum librorum altera pars *παρασκευαστικά* altera *Περσικά* inscripta erat. Plutarchus in nostro libro c. 23. secundum Heraclidem refert,

Artaxerxem non solum Atossam sed etiam Amestrim filiam in matrimonium duxisse, „*περὶ ἧς ὀλίγον ὕστερον ἀπαγγελοῦμεν.*“ Qui locus igitur in sequentibus (c. 27.) agit de filiabus Artaxerxis et in iis de Amestri, ex eodem scriptore desumtus esse Muellero visus est, quod est probabile.

De Xenophonte.

Xenophontis historiam expeditionis Cyri Plutarcho in componenda vita Artaxerxis ante oculos fuisse, res ipsa doceret, etiamsi auctor Xenophontem non commemorasset. Pugnam enim apud Cunaxa commissam (c. 8.) ita accurate a Xenophonte descriptam esse dicit, ut absurdum sit, res relatas referre. Quae deinde de culpa Clearchi, qua Cyrus in pugna ceciderit, philosophatur, dicere videtur non sine quodam respectu eorum, quae apud Xenophontem (Anab. I. 6. 12. seqq.) legimus; quamquam non nescio, Ctesiam quoque de his rebus disseruisse, id quod apparet e verbis fragmenti 58.: *νίκη Κύρου, ἀλλὰ καὶ θάνατος ἀπειθοῦντος Κλεάρχου.* Denique c. 9. dicit, de morte Cyri Xenophontem brevem esse, quia non ipse interfuerit. Num ea quoque, quae de expeditione Cyri in Babyloniam et de Artaxerxis ante pugnam consiliis refert, Xenophonti debeantur, merito dubitaverim. Xenophon enim (Anab. I, 1. 9.) Clearchum exulem fuisse narrat, non jussu Ephororum Cyro auxilio venisse. Praeterea Xenophonte teste fossa jussu Artaxerxis facta dimidium ejus latitudinis habebat, qua secundum Plutarchi testimonium erat.

Quos praeterea fontes Plutarchus secutus sit, in incerto est, quamquam neminem non fugiet, praeter commemoratos scriptores alios ante oculos ejus fuisse. E multis haec protulisse sat erit: Cap. 4. Plutarchus dicit, nonnullos scriptores opinatos esse, Cyrum eam ob causam fratri bellum intulisse, quia ipsi pecuniae ad epulas ei datae non suffecissent. Quod quam adsurdum esset, Plutarchus ipse intellexit. Sed unde haec habuerit, tacet. Simili modo auctoritate non allata nonnulla de Lacedaemoniis Cyri adjutoribus narrat, quae prorsus falsa sunt. Refert enim, Lacedaemonios, postquam statuerint, Cyro esse auxiliandum, Clearcho scytalam misisse et imperasse, ut quavis in re Cyro obediret. His praeter Diodori et aliorum refragatur Xenophontis testimonium, qui duobis locis eum exulem vocat. Scribit enim Anab. I, 1. 9. *Κλέαρχος Λακεδαιμόνιος φυγὰς ἦν. Τούτῳ συγγενόμενος ὁ Κῦρος ἠγάσθη τε αὐτὸν καὶ δίδωσιν αὐτῷ μυρίους δαρεικούς.* Ibidem II, 6, 1 sqq. copiosius explicatur, Clearchum, qui bello Peloponnesiaco magnam laudem reportasset, pace facta Lacedaemoniis persuasisse, ut contra Thraces expeditionem susciperent. Ephori vero consilio mutato eum ancoris jam solutis revocabant. Nihilominus in Hellespontum navigavit, quam ob rem capitis damnatus exul ad Cyrum venit. Unde igitur illa Plutarchi manaverint, incertum manebit. Ctesias, qui amicitia cum Clearcho erat conjunctus, tam falsa de re nota narrare non poterat. Eodem modo contra Ctesiam et Xenophontem Cyrus narratur a matre clam rege revocatus a mari ad aulam regiam, quum illi dicant, a rege ipso illum revocatum fuisse.

II.

De temporum ratione observationes.

Haud facile de vita et regno cujusquam regis aeque variant rationes et testimonia scriptorum atque de Artaxerxis, quod eo mirabilius est, quo propius ejus regnum accedit ad tempora illa, quibus facta Graecorum et res gestas accuratissime et diligentissime mensibus et diebus tenus novimus. Qui enim Cononis Thrasybuli, Lysandri, Agesilai, Xenophontis aetate regebat regnum totius orbis terrarum vastissimum ac potentissimum, ejus annus natalis nobis non magis quam ullius reguli barbari innotuit, ne de initio quidem et fine regni ejus scriptores inter se consentiunt. Videtur igitur primum de regni initio et exitu, deinde de aetate ejus disserere. Plutarchus igitur Dinonis auctoritatem secutus affirmat, (Artax. 30.) Artaxerxem post regnum sexaginta duorum annorum e vita decessisse. Justinus (VII. 11.) anno non addito: „eodem fere tempore (exitio triginta tyrannorum) Darius rex Persarum moritur“, id quod factum est a. 403 ante Chr. n. Accuratissime temporum rationem dedit Diodorus (libr. XIII. 104. 108.), qui regnum adeptum esse dicit Alexia Archonte (405. 4.) et Archonte Molone (362, 1.) post regnum quadraginta trium annorum mortuum esse. Clemens Alexandrinus eum duo et quadraginta annos regnasse dicit (I. p. 331.). At regni initium paulo prius ponit, quam debebat (Clinton fast. Hell. p. 327. 328.). E Xenophonte enim, (Hellen. II, 1, 13—15) quippe qui illis ipsis temporibus degeret vitam atque summa fide dignus esse videatur, apparet, Lysandrum, Cyri minoris familiarem, eodem tempore ad Cyrum invitatum esse, quo Cyrus a patre aegrotanto eacessitus fuerit. Cyrum statim profectum patrem vivum adhuc vidisse, illum autem post mortuumfuisse. Hoc si a. 405. factum esse constat, anno medio vel exeunte 405. initium ejus regni ponendum est. Secundum Diodorum igitur, qui annos quadraginta tres, et Justinum, qui annos quadraginta duo regno Artaxerxis tribuit, necesse est, Artaxerxem aut a. 361. aut 362. mortuum esse, id quod Diodorus (XV. 92) de Tacho rege Aegyptiorum ad Olymp. 104, 3, scribens eo demonstrat, quod sub eodem anno Artaxerxis mortem et Ochi successionem memorat. Cum his confer, quae apud Syncellum p. 77. c. leguntur, secundum Africanum (Mueller. Hist. Gr. Minor. II, 597.) *πρώτη καὶ τριακοστὴ δυναστεία Περσῶν βασιλέων τριῶν. ά Ὦχος εἰκοστῷ ἔτει τῆς ἑαυτοῦ βασιλείας Περσῶν ἐβασίλευσεν Αἰγύπτου ἔτη β΄. β΄ Ἀρσὴς ἔτη γ΄. γ΄ Δαρεῖος ἔτη δ΄. Ουου ἔτη τρίτου τομου ἀν* (scribendum *ὤν*).

Secundum Eusebium (l. l.) *τριακοστὴ πρώτη δυναστεία Περσῶν βασιλέων τριῶν, α΄ Ὦχος εικοστῳ ἔτει της αυτοῦ Περσῶν βασιλείας κρατεῖ τῆς Αἰγύπτου ἔτη ς΄, β΄ Μεθ᾽ ον Ἀρσης Ὤχου ἔτη δ΄, γ΄ Μεθ᾽ ὃν Δαρεῖος ἔτη ἕξ, ὃν Ἀλέξανδρος ο Μακεδων καθεῖλε.* Secundum Africanum igitur Ochus 22 annos regnavit, Arses annos quatuor, Darius annos sex. Ab Artaxerxis morte usque ad pugnam Arbelensem essent anni triginta duo, quae ratio cum Diodoro quadrat. Atqui ex epistola Philippi ad Athenienses data, auctumno a. 340. (fast. Hell. 156) elucet, jam tum a. 340. Aegyptum a Persis iterum esse captam, sed paulo ante, ergo fortasse a. 341. Haec quoque annorum computatio ad Diodori chronologiam quadrat; viginti enim annis ante annum 341, i. e. anno 361. Ochus rex factus est.

Canon autem astronomicus ponit, Artaxerxem regnasse quadraginta sex annos et statuit, eum a. 359. diem obiisse, ita ut Ochus eodem anno post diem XXI. mens. Nov. rex factus sit. At quamvis cum auctore Fastorum Canonis astronomici auctoritatem magni habeam, cum iis consentire nequeo, qui hac in re Diodoro fidem recusant ac potius cum Canone pro vero habent, Ochum demum a. 359. regnum iniisse, ita ut pater ejus quadraginta sex annos regnaverit. Sive autem Artaxerxes a. 361. sive a. 359. e vita decessit, non solum difficultas quaedam in computandis annis vitae superest, sed ita numeri omni ratione inter se repugnant et differunt, ut veteres scriptores tragoedias excitasse nemini non probetur. Quae ut demonstremus, paulo supra rem repetamus necesse est. Artaxerxes, qui dicebatur Longimanus, patri Xerxi successit interfecto ab Artabano satellitum praefecto a. 464 nostrae aerae. (Fast. Hell. p. 326.) Primus thot Artaxerxis fuit 17. Decembr. dies a. 465. Proinde e Canonis computatione revera post hunc diem aut certe non antea regnum adeptus est. Quod quum demum factum sit, postquam Artabanus septem menses regnaverat, Xerxes mortuus est aliquo tempore ante a. 283. aer. Nabonas. quod anno ineunti Lysithei Archontis respondet, et accommodatum est Diodori notationi. Xerxis igitur mortem primo hujus Archontis mensi (Jul. 465.), Artaxerxis regni initium octavo (febr. 404.) adscripseris. Erat autem, cum regnum iniret, admodum puer. Justinus enim hac de re (III, 1): Artabanus, inquit, securior de Artaxerxe puero admodum fingit regem a Dario, qui erat adolescens, occisum; quo loco vox adolescentis opposita est puero. Orientalium nationum quidem etiamnum mos est, ut viri nonnullis annis prius, quam nostri, pubertatem nacti conjugium ineant, quae est illarum regionum natura. Fac igitur Artaxerxem, quo tempore rex factus est, puerum quindecim annorum fuisse, concedes, eum annis decem post a. 455. nondum avum esse potuisse Artaxerxis, qui natus erat patre Dario II. filio Artaxerxis, e Parysatide filia Artaxerxis. Plerique enim reges Persarum sorores germanas in matrimonium ducebant. De longaevitate vero Artaxerxis veteres inter se consentiunt, quae fabula a Dinone divulgata in libros historicos irrepsit. Praeter Plutarchum enim, qui nonaginta quatuor annos ei tribuit, etiam Lucianus (Macrob. §. 15) ad Dinonem hoc refert: *Ἀρταξέρξης ὁ Μνήμων ἐπικληθείς, ἐφ᾽ ὃν Κῦρος ο ἀδελφὸς ἐστρατεύσατο, βασιλεύων ἐν Πέρσαις ἐτελεύτησε νόσῳ ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα ετῶν γενόμενος, ως δὲ Δείνων ιστορεῖ, τεττάρων καὶ ενενήκοντα.* Isidorus vero Characenus eum tres et nonaginta annos vixisse dicit. Lucianus enim, seu quisquis auctor hujus libri est, pergit sic: *Ἀρταξέρξης ἕτερος Περσῶν βασιλευς, ὃν φησιν ἐπὶ τῶν πατέρων ἑαυτοῦ Ἰσίδωρος ὁ Χαρακηνὸς συγγραφεὺς βασιλεύειν, ἔτη τρία καὶ ἐνενήκοντα βιοὺς ἐπιβουλῇ τἀδελφοῦ Γωσίθρου ἐδολοφονήθη.* Quae quamquam de caede Artaxerxis ineptias proferunt, sine dubio ad Artaxerxem referenda sunt, non ad Ochum, id quod Muellerus (Geogr. min. p. 256) innuit, nomine Ochi uncis incluso. Totus vero hic locus adeo corruptus esse mihi videtur, ut, qua ratione possit sanari, prorsus desperem. Fortasse verba *Ἀρταξέρξης ἕτερος Περσῶν βασιλεὺς ὃν φησιν ἐπὶ τῶν πατέρων ἑαυτοῦ βασιλεύειν* delenda et reliqua cum antecedentibus ita coujungenda sunt: *ως δὲ Ἰσίδωρος ο Χαρακηνὸς συγγραφεὺς ἱστορεῖ, ἔτη τρ.* etc. Neque vero rationes desunt, quae fabulae de Artaxerxis aetate repugnent. Ctesias enim, qui medici loco apud Parysatidem, Artaxerxis matrem, versabatur, liberos, quos illa erat enixa, accurate et ex ordine enumerat fr. 49. *Ἐχρῆτο δὲ (Δαρειαῖος) συμβούλῳ μάλιστα τῇ γυναικί· ἐξ ἧς πρὸ τῆς βασιλείας δύο ἔσχε τέκνα, Ἀμῆστριν θυγατέρα καὶ Ἀρ-*

σακαν υἱόν· ὃς ὕστερον μετωνομάσθη Ἀρτοξέρξης. ***Τίκτει δὲ αὐτῷ ἕτερον υἱὸν βασιλεύοντι καὶ τίθεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἡλίου Κῦρον· εἶτα τίκτει Ἀρτόστην, καὶ ἐφεξῆς μέχρι παίδων δεκατριῶν. Καί φησιν ὁ συγγραφεὺς αὐτὸς παρ' αὐτῆς τῆς Παρυσάτιδος ταῦτα ἀκοῦσαι. Ἀλλὰ τὰ μὲν ἄλλα τῶν τέκνων ταχὺ ἀπεβίω, οἱ δὲ περιγεγονότες οἵ τε προρρηθέντες τυγχάνουσι καὶ ἔτι τέταρτος υἱὸς Ὀξένδρας ὠνομασμένος.*** Quid inde sequitur? Si igitur Parysatis Artaxerxem a. 455. vel secundum alium scriptorem a. 448. peperit, ante hunc vero filiam fortasse anno vel biennio ante — alterum filium Cyrum postquam regno potita est, i. e. non ante annum a. Chr. 424. sive triginta uno aut viginti quinque post primum partum, et post hunc non minus decem liberos peperit, etiamsi inter singulos partus tantummodo annum interponimus, natu minimus non ante a. 413. ante Chr. n. id est aut quadraginta duobus aut certe triginta quinque annis post natu maximum natus foret. Credat Judaeus Apella! Immo multo probabilius est, Artaxerxem paucis annis ante Cyrum natum fuisse; tantum enim annorum discrimen sine dubio ab auctoribus esset indicatum. Hanc ipsam nostram sententiam praeterea alia res probat. Artaxerxis enim expeditionem contra Carduchos sive Cadusios — quo nomine nuncupantur, qui hodie Curdi nominantur, gens saeva, terram asperam montibus praeruptis inviam habitans — suscepit, quae quum malo uteretur eventu, rex coactus est summos labores militis gregarii instar perferre. At non succubuit illis laboribus, sed juvenili quasi robore ante exercitum praecessit. *οὔτε γὰρ χρυσὸς οὔτε κάνδυς οὔτε ὁ τῶν μυρίων καὶ δισχιλίων ταλάντων περικείμενος ἀεὶ τῷ βασιλέως σώματι κόσμος ἐκεῖνον ἀπεκώλυε πονεῖν καὶ ταλαιπωρεῖν ὥσπερ οἱ τυχόντες, ἀλλὰ τήν τε φαρέτραν ἐνημμένος καὶ τὴν πέλτην φέρων αὐτὸς ἐβάδιζε πρῶτος ὁδοὺς ὀρεινὰς καὶ προσάντεις, ἀπολιπὼν τὸν ἵππον, ὥστε τοὺς ἄλλους πτεροῦσθαι καὶ συνεπικουφίζεσθαι τὴν ἐκείνου προθυμίαν καὶ ῥώμην ὁρῶντας.* ***Καὶ γὰρ δια-***
κοσίων καὶ πλειόνων σταδίων κατήνυεν ἡμέρας ἑκάστης πορείαν. Expeditionem illam Diodorus (XV, 8 seq.) factam scribit Olymp. 98. 4. sive a. 385. a. Chr. n. Vix autem credi potest, virum 63 annorum nedum senem septuagenarium, molestias et labores illos ferre potuisse, ac regem pedibus proficiscendi imperitissimum, quum reges Persarum secundum consuetudinem illius populi solum pedibus nunquam tangerent, cujus praeterea corpus luxu et libidine esset debilitatum, itinera XXV milium passuum uno die perficere potuisse. Nam etiamsi vir quinquaginta annorum illos labores incolumis atque integer perpessus esset, corpore eum robusto fuisse necesse est. Si igitur recte rem exposuimus Artaxerxes annos septuaginta tres vel quatuor non nonaginta tres quatuorve ne octoginta quidem sex annos natus vita defunctus est. Neque huic opinioni repugnat, quod Darius, filius natu maximus, quinquagenarius diademate regis donatus esse traditur (c. 26.). Quamquam enim lectiones Vulcobianae et Anonymi illo loco contra omnium caeterorum codicum auctoritatem *πέμπτον καὶ εἰκοστόν* praebent, quibus deceptus Schaeferus hanc lectionem recepit. Sintenisius opponit nonaginta quatuor annos Artaxerxis vita extrema memoratos. Verum etiam refutata illa fabula de Artaxerxis aetate lectio *πεντηκοστὸν ἔτος γεγονότα* sola recte habet. Vidimus enim in antecedentibus, Artaxerxem Statiram Idernis filiam jam vivo Dario patre, a Rege morti destinatam, per Parysatidem vero vitae servatam, in matrimonium duxisse; anno 399. Dinone vero auctore a. 401. Statira a Parysatide veneno interemta est. Inter genuinos filios Artaxerxis, i. e. qui e Statira, legitima uxore, erant parti, praeter Darium Ariaspes et Ochus commemorantur; praeterea non dubito, quin filias

ex eadem uxore habuerit, quum Atossa, quam ipse postea in matrimonium duxit, natu minima appelletur, quod epitheton tum demum quadrat, si id refertur ad filias legitimas. Utcunque vero haec habent, hoc praeter dubitationem est, Darium natu maximum filium Artaxerxis natum fuisse non post annum 403. Si igitur ejus exitium ponendum est a. 363. i. e. paulo ante patris obitum, certe annum quadragesimum vitae jam erat transgressus. Nullo modo igitur viginti quinque annorum dici poterat. Offensionem mira illa de Aspasia minore narratio praebebit, quae quum jam a. 401 inter pellices Cyri capta atque in regium gynaeceum ducta esset, paene quadraginta annis post quasi altera Ninon d'Enclos etiamtum pulchritudine ita excellebat, ut Darius amore incensus hanc sibi dono posceret; quo facto rex iratus primum quidem a promissis stetit, mox vero eam Dario ereptam sacerdotem Anaitidis designavit.

III.

Observationes criticae.

C. 1. *ἐκείνῳ δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου;* altera lectio *ἐκεῖνος;* scribendum puto *ἐκεῖνο* relatum ad nomen; *γίγνεσθαι ἀπὸ* saepius significat: originem ducere, derivari ab aliquo.

Cap. 4. lect. vulg. sic exhibet: *ἐν ἀρχῇ δὲ καὶ πάνυ ζηλοῦν ἔδοξε τὴν Ἀρτοξέρξου τοῦ ὁμωνύμου πρᾳότητα, ἡδίω τε ἑαυτὸν παρέχων ἐντυγχάνεσθαι, καὶ περὶ τὸ τιμᾶν καὶ χαρίζεσθαι κατ' ἀξίαν ὑπερβάλλων, κολάσεως δὲ πάσης ἀφαιρῶν τὸ ὑβρίζον, καὶ ἡδόμενος ἐν τῷ δέχεσθαι χάριτας, οὐχ ἧττον τοῖς διδοῦσιν ἢ τοῖς λαμβάνουσιν· ἐν δὲ τῷ διδόναι φαινόμενος εὔχαρις καὶ φιλάνθρωπος.* Reiskius post *χαρίζεσθαι* tantummodo *τὸ* ante *κατ' ἀξίαν* addidit et ita vertit: Initio enim mire sectari Artaxerxis sibi cognominis visus est moderationem, blandiorem aditu se praebendo, atque in largiendis pro merito honoribus beneficiisque effusum, omni suppliciorum exactioni detrahendo contumeliam, exultandoque in accipienda gratia, non secus si dares, quam si acciperes, in dando hilarem se et benignum ostendendo." Quo autem jure verba *οὐχ ἧττον τοῖς διδοῦσιν ἢ τοῖς λαμβάνουσι* vertat, „non secus si dares quam si acciperes," quum eo ordine posita, quo ea vulgata exhibet, dativi pendeant a participio *ἡδόμενος*, plane non intelligo: atque Reiskius ipse in nota addit: non intelligo, num *ἐν τῷ δέχεσθαι καὶ διδόναι χάριτας?* Kaltwasserus vero ita vertit, ut dempta post *ὑπερβάλλων* interpunctione post *ὑβρίζον* interpungat et ita pergat, ac si verba nullam praebeant difficultatem: Wenn er Geschenke empfing, freute er sich nicht weniger als die, welche sie brachten oder selbst dergleichen erhielten, und bei den Geschenken, die er Andern machte, zeigte er eine ungemeine Freundlichkeit und Leutseligkeit." Quae translatio minime ferri potest, quum scriptum non sit *τῶν διδόντων ἢ τῶν λαμβανόντων*, quum praeterea hoc loco *ἢ* non vel sed quam significet. Sintenisius difficultates quodammodo e medio sustulit, ut cum nonnullis codicibus manu scriptis scriberet *ἡδόμενον* et cum verbo *ἐφυβρίζον* conjungeret, deinde virgula posita haec verba a sequentibus sejungeret, quae per chiasmum explicari possunt: *ἐν δὲ τῷ δέχεσθαι χάριτας οὐχ ἧττον τοῖς διδοῦσιν — ἢ τοῖς λαμβάνουσιν ἐν τῷ διδόναι — φαινόμενος εὔχαρις καὶ φιλάνθρωπος.* Sed praeterea quod Chiasmus hoc loco delicatior et quaesitior appareat, illud *ἡδόμενον*

nulla ratione ferri potest. Quomodo enim poena gaudii quid habere, vel ipsa gaudere potest? *ὑβρίζον* vel *ἐφυβρίζον* quadrat ad poenam vel supplicium, quippe quod praeter dolorem etiam contumelia hominem afficere possit; *ἡδόμενον* vero poenae inesse nequit. Sententia hujus loci haec mihi mihi videtur esse: a suppliciis contumeliam removit; quum vero aeque libenter beneficia conferret atque acciperet, non minus iis, qui dabant, quam qui dona accipiebant, benevolus et benignus visus est. Similem sensum Reiskius et Kaltwasserus suis translationibus reddiderunt. Suspicor igitur, forma *ἡδόμενος* servata, verba alio ordine fuisse posita, aut sic: *κολάσεως δὲ πάσης ἀφαιρῶν τὸ ὑβρίζον, καὶ ἡδόμενος ἐν τῷ δέχεσθαι χάριτας οὐχ ἧττον ἢ ἐν τῷ διδόναι, τοῖς διδοῦσιν καὶ τοῖς λαμβάνουσι φαινόμενος εὔχαρις καὶ φιλάνθρωπος*, aut sic: *καὶ ἡδόμενος ἐν τῷ δέχεσθαι χάριτας καὶ ἐν τῷ διδόναι οὐχ ἧττον τοῖς διδοῦσιν ἢ τοῖς λαμβάνουσι φαινόμενος εὔχαρις καὶ φιλάνθρωπος.*

C. 8. vulg: *Κῦρον δὲ πρὸ τῆς μάχης Κλεάρχου παρακαλοῦντος ἐξόπισθεν τῶν Μακεδόνων εἶναι καὶ μὴ κινδυνεύειν αὐτὸν εἰπεῖν φασι.* Pro *Μακεδόνων* Emperius conjecit *μαχομένων*, id quod Sintenisius in textum recepit; alii *Λακεδαιμονίων*. *Λακεδαιμονίων* auctor scribere non potuit, quum nusquam auxilia Graecorum Lacedaemonii vocati sint; quum vero Cyrus contra Clearchi consilium in primo ordine mediae aciei propugnaret. inde apparere videtur. Clearchum Cyro suasisse. ut post mediam aciem consisteret. Itaque praetulerim *ἐξόπισθεν τῶν κατὰ μέσον εἶναι* vel potius *μεῖναι.*

C. 11. *ἀπὸ τοῦ ἵππου.* Cod. Sg. *ἀπὸ τῆς ἵππου*, ut vitetur hiatus; quam quidem lectionem praeferrem, nisi obstare tamen ea res videretur. quod Persae ad equitandum tantummodo maribus equis non equabus uti solebant; qua propter lectio *τοῦ ἵππου* retinenda est.

Restat. ut de nonnullis locis exponam. qui propter hiatum offendant, ac levi mutatione vel ordine verborum immutato corrigi possint. Qua in re in universum ea erunt notanda. quae Sintenisius V. Cl. epistola ad Sauppium data ad finem editionis Plutarchi repetita de hiatu in Plutarchi vitis obvio diligentissime tractavit. Quam rem iterum in memoriam revocare non est in animo, probasse sat erit, vita Artaxerxis accurate explorata, quam recte vir doctissimus judicarit. quum (T. IV. 328) scriberet: „Denique non praetereundum puto miram illam discrepantiam. quae intercedit inter Plutarchea et et non Plutarchea in Plutarcheis, hoc est, uti vel locos ex aliis scriptoribus vel dicta singula, quod scis eum facere saepissime, in rem suam convertit. tot tamque graves immisti hiatus sunt. ut qui non obiter haec legat. non possit non orationis genus plane dispar agnoscere. Quam quidem rem ego tanto magis diligenti observatione dignam puto, quo plus habet non tantum ad alias quaestiones dijudicandas momenti. verum etiam ad fidem facit scriptoris aestimandam fontiumque usum cognoscendum."

Sunt autem hiatus in vita Artaxerxis obvii hi:

C. 1. *Ξέρξου δὲ ἦν υἱός — τοὔνομα ἔσχεν — ἐκείνῳ δὲ ἀπό — ὁ δὲ Ἀρτοξέρξης.*

2. *ὁ δὲ Ἀρσίκας — μήτε ἀποκτεῖναι — μήτε αὐτοῦ —*

3. *ἀναλαβεῖν δὲ ἦν — ἕτερα ἄττα — μὴ ἀποδειχθέντος — κατηγόρει δὲ ὡς — μέλλοντα δὲ αὐτόν — ἤδη ἀποθνήσκειν —*

4. *ἀλλὰ ἡ μήτηρ — ἀλλαχόθι δὲ ἄλλους — τοῦ ὁμωνύμου —*

5. *ἐκείνου δὲ εἰπόντος — δὲ ἐμοὶ — φορεῖν δὲ ἀπαγορεύω — ἀσπάσασθαι αὐτήν —*

6. *δὲ ὑπὸ δειλίας — μηδὲ ἐφ' — μηδὲ ἐπί — ἔλαθέ γε εἰς — περὶ αὐτον — ἂν δὲ ἱππεῖς — περὶ αὐτοῦ — τοῦ ἀδελφοῦ — δὲ ἡνία — ποῦ δὲ αἱ — Κτησίας δὲ ὕστερον — οὔτε ἀγνοεῖν — οὔτε ἑκὼν — τὸ ἔργον —*

7. *ἄχρι ἂν — Τηριβάζου δὲ ὥς φασι — καὶ ἀνόπλους —*

8. —

9. *καὶ ὑβριστήν — ἀδικώτατε ἀνδρῶν — καὶ ἀφρονέστατε — ταῦτα εἰπών — καὶ οὐκ ἐτρώθη —*

10. *ὁ δὲ ἀπεῤῥύη — Τηριβάζου ἀναβαλόντος — καὶ εἰπόντος — τῷ ἵππῳ — καὶ εἰπών — βάλλουσι δὲ οἱ περὶ αὐτόν — ὡς δὲ ἕτεροι —*

11. *καὶ οὐκ ἔτρωσε — καὶ αὐτός — καὶ ἀπέκτεινε — τὸ ἀκόντιον — τοῦ ἵππου — περὶ αὐτόν — ὁ ἵππος — δὲ αἷμα — καὶ ὁ μὲν — δι' αὐτοῦ — καὶ ἄποροι — τὰ ἐπιθωρακίδια — καὶ ἀποθνήσκει —*

12. *δὲ αὐτοῦ — ὁ Ἀρτασύρα — οὐδὲ ἦν — μήτε ὕδωρ —*

13. *ὡς δὲ ἐπέστη — οἱ δὲ ἐθαύμαζον — καὶ οὐχ —*

•14. *τὸ ἀσκίον — δὲ ἡμέρας — τιμᾷ ὁ βασιλεύς — ταῦτα δὲ ἀκούσας — καὶ αὐτοῦ — καὶ ἀναπεισθείς —*

15. *δὲ ἀπώλετο — ἐπεὶ δὲ εἰς — ὦ Μιθριδάτα ὁ βασιλεύς — πολλοῦ δὲ ἄξιος — ταῦτά ἐστιν — καὶ ὁ Σπαραμίζης — οἶνον καὶ ἀλήθειαν — ταῦτα δὲ οὐκ — ἐγὼ δὲ ὑμῖν — τὸ ἀληθές — καὶ ἀκρατοῦς —*

16. *καὶ Ἕλλην — δὲ ἐκεῖνον — τὸ δὲ ἄλλο — τῷ ἀνθρώπῳ — τὰ ὄμματα* bis — *τὰ ἐντός —*

17. *τά τε ἄλλα — καὶ ὅλως — δὲ ἀνιᾶσθαι —*

18. *ἰδίᾳ δὲ ἕτερα — μὴ ἐθελῆσαι — καὶ ὀμόσαι — δὲ αὖθις — καὶ ὀρνέων — καὶ ἐπικρύψαι —*

19. *τὸ αὐτό — καὶ ἀπό — τῷ ἑτέρῳ — ἀποθνήσκουσα οὖν — δὲ οἱ — ἄχρι οὗ — ἡ οὖν Γίγις — οὔτε ἐποίησεν —*

20. *καὶ ἀποφήναντες — τὰ δὲ ἄλλα — ὁ Ἀρτοξέρξης —*

21. *τῷ Ἀθηναίῳ — περὶ ὧν — ἂν δὲ οὗτοι — δὲ Ἀνταλκίδας — τοῦ ἰατροῦ —*

22. *δὲ ὡς ἔοικεν — καὶ ἀπέῤῥιψεν — πρὸ αὐτοῦ — δι' ἀσθένειαν —*

23. *δι' ἣν — δι' ἐκείνην — τὸ ἦθος — ὥστε ἀλφοῦ — τοῦ ἱεροῦ — καὶ ἀργύρου — καὶ ἵππων —*

24. *δὲ εἰς — καὶ ὁμιχλώδη — οὐδὲ ἔξωθεν — τὰ δὲ ὑποζύγια — ὥστε ὄνου — τοὺς δὲ ἄλλους — δι' ἀνδραγαθίαν — δὲ ἀποῤῥιφείς — τῷ Ἀρτοξέρξῃ — δὲ ἑκάτερον — ἐκείνῳ αὐτόν — δὲ ἧκεν — καὶ ὁ — οὔτε ὁ —*

25. *δὲ εἰς — καὶ ἀγαθούς — δὲ ὁμοῦ — δι' ὀργήν —*

26. *τὰ αὐτά — δὲ ὄντος — τὸ αἰτηθέν — καὶ ἁπτομένου — καὶ ἄγροικος — καὶ εἶπε — ἄρα ἤδη — καὶ ἀδιάφθορον —*

27. *καὶ αἰτηθείς — δοὺς δὲ ὀλίγον — εἴτε ὑβρίσθαι — δὲ Ἄμηστριν — οὐδὲ ἄλλως — τὸ ἦθος — οὐδὲ ἡσυχαῖον —*

28. *δὲ οἱ — δι' ἀπειρίαν —*

29. *τῷ Ἀρτοξέρξῃ* — *τοῦ εὐνούχου* — *καὶ οὐκ ἐξανέστη* — *τὰ ἐγχειρίδια* — *δὲ εἶδεν* — *τὸ ἐντός* — *τῇ ἑτέρᾳ* — *καὶ ἱκετεύειν* — *εἶτα εἰς* —

30. *ὁ δὲ Ἀρσάμης* — *τὰ δὲ ὅσον οὔπω* — *δι' ἐκείνου* — *δὲ αὐτῷ* — *οὐδὲ ὀλίγον* — *τέσσαρα ἔτη* — *δύο καὶ ἑξήκοντα* —

Facile igitur intelligitur, vix ullam vitam Plutarchi aeque abundare hiatibus atque hanc nostram. Eae vero libri partes, quibus Plutarchus suam ipsius explicat sententiam atque, ut ita dicam, suis loquitur verbis, miro modo hiatibus vacant. Sic cap. octavo, quo Plutarchus de exitu pugnae ad Cunaxa commissae conjecturas excitat et quid Clearchi loco ipse facturus fuerit, exponit, hiatus occurrit nullus. Praeterea capp. 1. et 2. et 20. quibus scriptor minus diligenter verba auctoris sequitur, sed potius excerpta reddit, paucis hiatibus iisque levioribus per particulas *τέ* vel *δέ* vel articulum factis notanda sunt. Ubi vero alios scriptores sequitur, id quod strictius et accuratius quam in aliis vitis Plutarchum in nostra fecisse, probasse mihi videor, hiatum minime vitavit.*) Omitto enim leviores hiatus (cf. Sintenis l. l.); neque enim offendunt articuli hiatus facientes, quod vicies septies reperimus; nec particulae *καί*, quae undequadragies, vel *δέ*, quae quinquagies septies, vel *οὐδέ μηδέ*, quae septies, vel *τέ*, quae decies, vel *μή*, quae bis, vel praepositiones, quae quindecies hiatus efficiunt; numerale (c. 30. *τέσσαρα ἔτη*) tantum unum hiatum efficit: Omnes hiatus ad numerum centum octoginta sunt, quorum plurimi c. 6. (14) et c. 11. (13) inveniuntur; at c. 6. pleramque partem, c. 11. totum e Ctesiae libro desumtum est.

Loci autem supra memorati, quibus hiatus offendunt, sunt:

c. 3. *ἀναλαβεῖν δὲ ἦν*, ubi omissa particula *δέ* cum codice i hiatus vitatur; hoc vero loco nullo modo particula omitti potest

ib. *μέλλοντα δὲ αὐτὸν ἤδη ἀποθνήσκειν*. Quem ad locum corrigendum Sintenisius proposuit *ἤδη μέλλοντα δ' αὐτὸν ἀποθνήσκειν*.

c. 5. *ἀσπάσασθαι αὐτήν*. Sintenisius: *αὐτήν* deleam vel scribam *ταύτην*. Leviore mutatione scribendum puto *αὐτὴν ἀσπάσασθαι*.

c. 7. Codex v pro *ἄχρι ἄν* praebet *ἄχρις* quod retinendum censeo, pariter ac c. 19. *ἄχρις οὗ* pro *ἄχρι οὗ*.

c. 11. pro *ἐπιθωρακίδια* cod. v. praebet *περιθωρακίδια*.

c. 19. *ἡ οὖν Γίγις*. Sintenisius cum Benselero addi jubet *μέν*: *ἡ μὲν οὖν Γίγις*, id quod per sequentia verba *τὴν δὲ Παρύσατιν* probabile fit; post *Γίγις* vero non nisi virgula interpunxerim.

c. 22. *ἀπὸ δείπνου ἔπεμψε*. Sintenisius: *ἀπὸ δείπνου ἔπεμψε* Plutarchum scripsisse incredibile est, qui nisi *ἀπὸ δείπνου* omisit, cfr. Pelop. 30. moral. 713e Athen. p. 48e scripsit fortasse *ἔπεμψεν ἀπὸ δείπνου*. Supra demonstravimus, quam Plutarchus verba Phaniae paene servili modo in vitis Pelopidae et Artaxerxis secutus sit; hanc ob causam non dubito, quin hoc loco non aliter atque in vita Pelopidae verba *ἀπὸ δείπνου*, quae apud Phaniam desunt, non scripserit.

*) Simile quid in vita Bruti reperies, ubi c. 2. epistolia quaedam Bruti adscripta sunt hiatibus iisque gravissimis abundantia.